

1 Reg. XIII, 2. Jes. XLIV. XLV. de Babylonica μετακεία, & captivitatibus termino, annis LXX. definito Jer. XXV, 9. XXIX, 10. de Persarum, Græcorum, & Romanorum imperio, nec non de immani Antiochi tyrannide, bellis, victoriis, exitio, Dan. VII. VIII. IX. XI. maxime vero illa, quæ de Messia ex semine Evæ, Abrahamæ, Isaaci, Jacobi, Judæ, Jesse, Davidis, Salomonis, ortu, de tempore & loco natiuitatis, de matre virgine, nominibus, miraculis, doctrina, passionibus & exaltatione, toties clarissime prædicta; nec non quæ de Anti-Christi regno, sede, moribus, & patefactione prodita leguntur, planissima pleraque, & Historico magis quam Prophetico stylo expressa; non poterit inde non divina codicis nostri autoritas intelligi & origo. Quæ de oraculis forte gentilium objici possunt, nihil faciunt ad rhombum, cum illa Diaboli ac impostorum effata multoties in mendacio deprehensa fefellerint, tam etiam fuerint ambigue structa, tam studio obscura, tam ancipiti sermone ad utrumque reddendum sensum conformata, ut ipsis idolorum cultoribus ethnicis imposturae, vanitatisque suspicionem moverint, ceu *tacita sortes ambage malignæ* (*). Ut taceam, vera quoque vaticinia, quæ intra ecclesiam divinitus edebantur, Diabolum sæpius surrepta, alibi apud gentes longinquas enarrasse, & pro suis venditasse.

η) *styli majestas:*

7. *Styli majestas & singularitas*, qua fidem non tam sibi conciliat, quam imperat. Nullis hic videas verborum lenociniis circumveniri incautos, non poppylismis deliniri aures, non ambitiosa oratorum pompa, vel cothurno exurgente sermone, in suspenso teneri auditores; quibus quippe phaleris humanum eget eloquium, ut obtineat, quod cupit, fidemque sibi impetret, quam ingenerare non valet; sed plana omnia & simplicia, neglectumque fere sermonis habitum, cum rerum sublimitate, tum dicentis, vel inspirantis majestate ornatum, prorsusque admirabilem. Non enim compta oratione edicta Numinis egent, nec humanæ sapientiæ sermonibus commendari cupiunt oracula cælestia: unum illis sufficit יהוה אלהים vel כִּי פִּי יְהוָה וְרַבּוּתוֹ quo velut fulmine mortalium animos ita feriunt & per-

(*) Huc omnino confer b. Wolffg. Franzii orat. *de oraculis ethnicis*, Wittebergæ editam in 8. An. 1596. & Antonii van Dale *Dissert. II. de oraculis ethnicorum*, Amstelodami, in 8. A. 1683.